

legij Societatis Iesu Ingolstadij. 1615.

ASSERTIONES
EX TRIPLOPHI-
LOSOPHIA,

QVAS

*IN CATHOLICA ET
CELEBRI ACADEMIA INGOLSTA-
DIENSI, SVB FINEM TRIENNALIS CUR-
sus in publicam Disputationem
dederunt*

DVO

E SOCIETATE JESV,
EIVSDEM PHILOSO-

Ferd. Heinen
phiæ Studiosi. francis Graw
XXVI. Ianij ANNO CHRISTI

M. D C. XV.



INGOLSTADII,
Typis Ederianis, apud Elisabetham Anger-
mariam, viduam.

SANCTISSIMO NOMI NI IESV, EIVSQUE SOCIORVM O- PTIMO PARENTI B. P. IGNATIO DD.

EX LOGICA.

THESES PRIMÆ.



LOGICA est scientia simpliciter practica, secundum quid speculativa, versans circa operationes intellectus, prout sunt dirigibles per praecpta Dialecticæ, tanquam obiectum adæquatum; est physicæ necessaria ad Scientias Totales saltē aliquas. Logica Utens est habitus re distinctus à docere, sicut ab omnibus etiā alijs scientijs.

2. Natura vna formaliter existens à parte rei in pluribus, si per Intellectum ab Inferioribus praescindatur, fieri verè vna apta esse in multis vniuocè, adeoque vniuersalis, quæ tamen à parte rei vel etiam in priori naturæ secundum se plus non habet, quām fundatum Vniuersalitatis. In communi sumptum Vniuersale ad suas quinque species est genus analogicum.

3. In prædicatione, quæ essentiam Vniuersalis vt proprietas consequitur, abstractum de abstracto non dicitur, nisi per modum speciei aut generis, vt totā eius naturam saltem potentiam continat, & per modum sic continentis significetur. De Concretis nunquam, nisi in diuinis & Transcendentibus, quāmuis concretum de alieno abstracto sāpe prædicetur, de suo nō nisi in diuinis, transcendētibus, & entibus rationis iacte se.

4. Omnia prædicamenta primo diuersa inter se realiter saltem ex natura rei differunt; In prædicamentis accidentium licet per se ponere tam abstracta quām concreta, in substantia verò solū concreta, cuius summum genus est substantia completa. Quantitatis Categoriam constituit Quantitas continua & permanens, vnde sicut numerus & oratio, ita tempus & motus rei è excluduntur.

5. Relatio fundatur tum substantijs, tum accidentibus, vna tamen aliam fundare nequit; quæ differentiam specificam intrinsecè desumit ab habitudine quādam ad fundamentum & terminum simul, extrinsecè potissimum à termino adæquato, à quo etiam extrinsecè individuatur. Distinguitur prædicamentalis à fundamento modaliter, quæ terminum suū vt absolutū respicit, & nō nisi actu existentem; diuiditur potissimum in tres species, secundum triplicem rationem fundandi, Vnitatem Actionem & Passionem, ac mensurabilitatem.

6. Enuntiatio mentalis est vns simplex conceptus expressè representans coniunctionem aut disjunctionem extremonrum, ipsa verò extrema tantūm confusè. Verbum Est in propositionibus de tertio adiacente tantūm rationem Copulae supplet, quoties prædicatum est necessarium, secus si sit contingens. Enuntiatio semel vera nunquam potest esse falsa, & viceversa; illæ verò propositiones, quæ Insolubiles dicuntur, nec vera sunt nec falsæ.

7. Ad

7. Ad consequentiam duo minimum requiruntur iudicia ita à se mutuo dependētia, vt vnum ex altero sequatur, quæ tamen non necessariò successiū fiant; ipse discursus probabiliter est vns simplex actus quo indicatur veritas cōsequentis connexa cum antecedente. In consequentia formalis ex vero nunquam sequitur falsum, licet ex falso verum; porro nulla Inductio, quæ talis, est formalis consequentia.

8. Syllogismus definitur oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam ab ijs quæ posita sunt, ex necessitate accedit, eò quod hæc sunt; qua definitio conuenit etiam appetere falsis, expositorijs, & hypotheticis, præmissæ moraliter tantum causant conclusionem; hinc Intellectus in sensu Conclusionis necessitatur solū quoad specificationem, non quoad exercitium; ipsa verò præmissæ in Conclusione aliquo modo confusè tantum cognoscuntur. In 2.^a & 3.^a figura nulli dantur modi Indirecti.

9. Ad demonstrationem propter quid requiritur inter cæteras conditiones etiā vt prædicatum sit necessarium, vnde triplex necessitatis gradus assignari solet. 1. vt sit de omni. 2. vt sit per se. 3. vt secundum quod ipsum, sufficit tamen alteram præmissarū in demonstratione primo & secundo modo esse necessariam. Totalis aliqua Scientia non est vns numero habitus, sed aggregatum quid ex pluribus partialibus; ad habendum recipiendum ea sola potentia est apta, quæ est rationalis saltem participatiæ.

EX PHYSICA.

10. Essentialis capacitas materiæ primæ extēdit se ad formas tā substanciales quām accidentiales, etiam ad contraria summè intensa, ad duas formas substanciales ultimas simul recipiendas, perditas quoq; recuperandas. Unitur verò materia prima per unicum modum Unionis substancialis, respectuum, materialem, sibi tanquam subiecto inherētē, formæ verò ut modificato adiacente, à qua tamen nec effectuè prouenit, nec nisi modaliter distinguitur.

11. Præcipio prout dicit non esse forma in subiecto proximè apto est principium essentialie Generationis, vt mutatio est, & denominatur proxima à dispositionibus proximis in genere causæ materialis non efficientis, proin aliquanto tempore antecedit generationem, estque diuersa non solū pro diuersitate formarum introducendarum, sed etiam pro diuersitate agentium.

12. Anima rationalis etiam quæ talis est natura: Materia & forma coeli etiam in particuli spectatae sunt naturæ tum respectu motus localis, tum aliarum operationum in Inferiora; de quiete contrarium est, quæ non propterea est violenta.

13. Caussalitas materialis in fieri & factō est Passio ex natura rei ab Actione distincta, à subiecto perinde ut terminus. Caussalitas formæ est vno, in modis nil distinctum ab ipsorum essentia. Caussalitas efficientis est actio. Caussalitas finis, amor & affectus in ipsum, seu efficax seu inefficax. Vnuerisim Caussalitas, quæ caussam in actu constituit, non semper formalis & expressa esse debet.

14. Nullum accidens immediatè inhæret toti composito, sed spiritualia formæ spirituali, quantitas materiæ, cætera materialia non modalia quantitatī. Putamus verò posse Deum spirituale accidens ponere in materia, & materiale accidens, imò ipsam quantitatē in spirituali subiecto. Potest quoque forma aliqua materialis vnius materiae, & ab ipsa in existendo non dependere supernaturaliter, sicut materia in existendo naturaliter à nulla forma penderit.

15. Motus propriè dictus essentialiter est successiva & continua formæ acquisitione includens tendentiam ad ulteriorem formam, aut saltē indiuisibile formæ acquirendum. Velocitas & tarditas sunt modi motus, non capaces intentionis aut remissionis, sed qui variata motus velocitate alij & alij producantur.

A 2.

16. Vnus

36. Vnus numero motus non requirit necessario ynum numero mouens, sed idem subiectum proximum. Motus naturalis & violentus ex hoc ipso capite non differunt. Specie: Essentia & specificatio motus tum à termino à quo tum ad quem desimirur, et si potius ab hoc, quā ab illo. Motus locales sursum & deorsum præcisè quā tales, probabiliter specie non distinguuntur.

37. Infinitum actu in magnitudine & multitudine. (Quod dari non posse assertimus cum Aristotele) sic describendum est, si eius naturam plenè velis explicare: Infinitum actu est, quod habet innumeratas partes æquales cuilibet finitæ magnitudini aut multitudini ita existentes, ut aliquando sit verum dicere omnes existere aut extitisse. Porro qui concedunt infinitum actu, necessario debent cōcedere vaū esse maius altero, vñ cōtinere. Infinities infinita, non esse de eius ratione, ut oēm locū occupet, &c.

38. Impenetrabilia constituit corpora quantitas localiter secundū triplicem dimensionem extensā, quæ vim habet resistendi negatiū corpori penetranti, vni tantum causa creatæ, non autem Deo insuperabilem. Idem esto iudicium de repugnantia corporum, quā vnum ab altero se non patitur dimoueri in metu Vacui. Cur natura fugiat Vacuum, caussa est conseruatio viuerti. Id verò, quod corpus illud mouet, cui alterum metu Vacui inseparabiliter affixum est, causat motum huius violentum.

39. Vacuo supernaturaliter dato animalia in eo progedi non possent sine ope Angelicâ; projecta ab Angelo mouerentur non ab homine; non verò grauias aut leuias nisi corpore aliquo posito pro termino motus, si verò esset aliquid corpus terminans, motum & graue aut leue, nullum aliud tangeret, tum moueretur & quidē successiuē.

40. Rectè admittuntur Indivisiibilia Entitatiua, non tantum in quantitate, sed etiam in substantijs & alijs accidentibus, quæ tamen non necesse in Continuatione aut Discontinuatione produci aut corrumpi, et si, verò corrumpanter aut producantur, nil sequitur absurdum. Punctum terminans lineam propriè illam non tangit nec adæquatè nec inadæquatè: positâ pari densitate Continui maius habet plura Indivisiibilia quā minus. Naturæ vi potest dari separatum Indivisiibile saltem qualitatum.

41. Partes & indivisiibilia sunt actu in Continuo, quæ nearíquam sunt modi, si ipsæ partes diuisibiles non sint modales neque scip̄is formaliter partibus diuisibilibus vniuntur, sed vniione alia indivisiibilia superadditâ & in ipsis subiectâ. Indivisiibilia qualitatum quoad extensionem, s̄p̄e quoad intensionem sunt diuisibilia; partes entitatiæ integrales & realiter distinctæ substantijs non adueniunt à quantitate, sed eas habent secundum se, etiam spoliatae omni extensione quantitatius.

42. Continuum non componi ex meris Indivisiibilibus im mediatis. & deinceps se habentibus pleriq; pro demōstrato habent, quibuscum & nos sentimus. Pleraq; corpora non componuntur ex minimis physicis. Punctum separatum potest naturaliter moueri localiter & alteratiuē. Indivisiibilia etiam rerum successiuarum, res permanentes non productæ per motum, aut instanti tantum durantes incipiunt & desinunt intrinsecè. Res successiæ absolutè incipiunt & desinunt extrinsecè; Vt Tantè intrinsecè.

43. Mundus ab æterno non fuit, sed esse potuit quoad res permanentes, non successiæ, aut quid successiū supponentes essentialiter. De essentia eius sunt Cœli & 4. Elementa, si pro congeric corporum simplicium sumatur, si pro totâ rerum Vniuersitate, requiri præterea mixta omnia in genere, secundum & gradus Eſſe, Vnire, Sentire, Intelligere. Vnde aeq; hic mundus essentialiter perfectior fieri, neq; alius formaliter in ratione mundi specie distinctus creari potest.

44. Cœlum est quinta essentia constans materiâ à sublunari specie distincta, est ignobilius viuente qualibet ad cuius productionem non nisi dispositiū aut Instrumentaliter cōcurrit; sua natura est incorruptibile, neq; graue neq; leue; piæter lucem habet alias virtutes actiæ, quas Influentias vocant. Omnes cœli habent vnius spe-

cici

ceti materiam, formis verò essentialiter distinguuntur, sicut & stellæ à suis orbibus & inter se. Quot sint numero Cœli, incertum, absit tamen, vt fluidos aut liquidos dicamus, qui solidissimi quasi ære fusi sunt, teste scriptura Job. 37.

45. Terra necessariò mouetur novo pondere accedente, aut ex uno loco in aliū translato. Grauias in fine mouet celestis Grauitas, quam secundariam vocamus, quæ à primaria productit & durante motu augerit. In loco perfectè naturali nulla est grauitatio. Grauitas terræ & aquæ, sicut levitas aëris & ignis specie differunt; & simplices sunt etiam in medijs Elementis.

46. Violenti motus projectorum caussa est impulsus à projiciente per locomotivam impressus, iam cum motu locali, iam in instanti; projecta in medio habent statum. Motus reflexus pilæ à muro resiliens prouenit à primo impulsu per projictem impresso. Fluctuatio corporis grauius liberè suspensi & sensu moti, prouenit à naturali grauitate illius æquilibrium querente. Mobile ex natura motus reflexi in puncto reflexionis non necessario quiescit.

47. Materia ventorum est exhalatio secca & calida, formalis illorum ratio est obliqua motio exhalationum, efficiens impetus à levitate sursum vrgente impressus. Motus maris, quem æstum vocant, à Luna prouenit per impressum impulsum. Salcedo illi non est naturalis, sed à Deo in prima creatione iniecta ab exhalationibus adustis conseruatur & augetur. Cœlum & 4. Elementa simul producunt lapides & metalla principaliter, adhuc influentijs & primis qualitatibus.

48. In uno compósito non sunt tot formæ substanciales, quot gradus essentiae, idem intellige de formis substancialibus elementorum in mixtis, de forma Corporeitatis & cadaueris. Formæ verò viuentium partiales rectè admittuntur, non tamen vt essentiales viuenti, quomodo cumq; spectentur, sicut nec corpus vt per illas constituitur. Generatio vnius est corruptio alterius mediare vel immediate.

49. Gradus intensiōis nec essentiali nec individuali perfectione discrepant, neque certam subordinationem aut oppositionem habent: dno remissa possunt se ad summum intendere, præsertim in antiperistasi, quæ fit ob inclusus halitus. Vnum accidens potest aliud & quæ intensum producere; interdum agit aliquid ultra suam intensiōem. Rarefactio fit cum partes quantitatis protrahunt ad maiorem locum occupandum; condensatio, cum eadem partes rufus intra se se reconduntur, sine productione vlla aut corruptione quantitatis.

50. Nulla res creata potest agere in distans, tamen Deus, si per impossibile distaret, non implicaret, quin posset; Deus quidlibet semel destructum præter tempus & actionem rei creatæ potest reproducere, creatura nihil. Elementa ex sua natura postulant alteram qualitatem in summo, alteram remissam sine admixtione contrarij. Nullum mixtum ullam qualitatem primam in summo patitur. Ad mixtionem intrinsecè sola generatio formæ mixti & vno particularum miscibiliū requiruntur, cæteri motus extrinsecè se habent. Terra seccissima est, aer humidissimus.

51. Anima est actus primus corporis naturalis Organici potentia vitam habentis; Vna tantum in uno viuente, informat omnes partes corporis, in quibus cernitur aliqua operatio vitalis. Rationalis, est Indivisiibilis, tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, cæteræ sunt extensæ & diuisibiles, partes animæ diuisibiles sunt homogeneæ vnius essentiae & perfectionis, sicut & vna anima Totalis ab altera eiusdem speciei individuali perfectione non differt.

52. Vita est permanens animæ nutritiæ cum calido, quam habent in Composito omnes partes heterogeneæ & homogeneæ non excrementiæ, ac solidæ. Omnes quatuor humores in corpore sunt specie distincti inter se, nec vitam habent, sicut nec vlius alius humor, Mors Aristotelii est Extinctio Caloris.

A 3

33. Pote-

33. Potentiarum in communi quinq; sunt genera, ab anima strictè realiter distincta, à qua per Dei potentiam possunt separari, & intellectus, v. g. in lapide poni; materiales subiectantur in materia media quantitate, & tantum in ijs organis, in quibus possunt operari; spirituales in sola anima. Materiales salua vita Organo ad functiones suas prorsus inepto possunt penitus amitti. Omnes ab anima effectiuè principaliiter per emanationem, quæ est operatio vitalis, proximè & immediate profluunt.

34. Potentia sumunt suam speciem ab actu & obiecto adequato ac formalis. Verum obiectum adæquatum ac formale multò strictius assignandum pro actibus, quam pro potentij, adeo ut obiectum formale actus sèpe tantum sit materiale potentia; hinc visio nigri & visio albi specie differunt. Adæquatum obiectum potentia desumitur ex generalissima ratione quam attingit in suo obiecto, quæ ex actu imperficiissimo circa illud colligi potest.

35. Terminus actus vitalis à solo Deo in quovis subiecto produci potest, non autem actio. Animæ vegetantis duæ tantum sunt potentiaæ principales vitales inter se realiter distinctæ: augmentativa secundum se non est propriæ vitalis; constitit essentialiter augmentatio in vnione successiva duarum quantitatuum, sicut nutritio in vnione materiæ alimenti cum materia aliæ, & introductione formæ Vniuersitatis in illam, etiæ veramq; plures actiones vel præcedant vel comitentur.

36. Cum omnes sensus speciebus in sensatione vtantur, ponuntur eæ duplices impressæ & expressæ. Impressæ producuntur ab obiecto externo per medium vsq; ad organum sensationis; ad quam effectuè instrumentaliter concurrunt; sunt in entitate diuisibiles, & quadruplici genere. Indivisiibilium ac partium constant, quarum aliæ sunt extra se mutuo, reliquæ intra se penetratiæ, & vnitæ, illarum aliquæ repræsentant diuersas partes obiecti, aliquæ diuersos gradus intensionis in eadem parte obiecti, aliquæ cunctem gradum claritatis vel debilitatis.

37. Species istæ sunt secundæ qualitates dependentes in conseruari ab obiecto, si inferuant sensibus externis; materiales inhaerent organo, mediante quantitate; differunt species vel numero prout est obiectum, quod repræsentant. Obiectum indivisiibili modo existens naturaliter sui species non producit. Idem sit, si sic immediatum organo, nullo medio etiam interno intercedente.

38. Sensibilia communia, quorum quinq; cum Aristotele ponimus, speciei sensibilis proprij modum, saltem aliqua, superaddunt, quamvis in sensu interno diuersas omnino species probabiliter habeant. Communæ sine proprio per nullam potentiam, proprium sine communi saltem per diuinam percipi potest, consequenter à sensu Vniuersaliter fieret, qui secundum communem modum operandi sèpius circa commune quam sensibile proprium hallucinatur.

39. Organum visus est tunica immediatæ circumdans humorem Chrystallinum: auditus; membrana tympano oppansa: olfactus; processus mamillares: gustus; nervi per linguam, palatum & gulam à cerebro producti; Tactus, Nerui, Caro, Cutis seu membrana. Obiectum visus est color, genus ad lucem & colorem; auditus, sonus, qui in reflexione non necessariò ipse, sed per species repercutitur, Gustus, Sapor; olfactus, odor; Tactus, primæ qualitates & aliquot secundæ.

40. Sensus internus est vna formaliter ac realiter potentia à varijs actibus variè denominata, adiiciens speciebus suis productis à speciebus expressis sensus externi modum repræsentantem sensationis internæ; hæc potentia subiectatur in Cerebro, eius verò species in spiritibus vitalibus. Species insensatae nullæ sunt. Appetitus sensitivus in corde residet, potentia verò loco motu materialis in musculis & Tendonibus, seu aliquo æquivalente, vbi hæc desunt.

41. Anima

41. Anima ratiotalis tres habet potentias spirituales & inorganicas, Intellectum, Voluntatem, Locomotivam; Memoria Intellectuam nihil est diuersum ab Intellectu, qui virtutis speciebus spiritualibus ab Intellectu agente productis, phantasmatore solùm per modum conditionis sine qua non concurrente. Intellectus agens & passibilis strictè realiter distinguuntur. In hac vita non dantur species propriæ rerum spirituallium, Vniuersalium, aut vlliis substantiæ, sed tantum accidentium, & quidem per sensibilium. Potest Intellectus simul & semel pluribus actibus plura obiecta cognoscere; pro obiecto adæquato habet omne Ens seu reale & positivum, seu rationis & negativum.

EX METAPHYSICA.

42. Metaphysica quæ ab alijs per Antonomasiā Prima Philosophia dicitur, est sapientia vnius rationis habitus, cuius obiectum attributionis adæquatum rectè statuitur Ens reale, re & ratione ab omni materia abstractum, cuius conceptus obiectus distinctus non est vniuersus aut re diuersus ab Inferioribus sed solùm confusus. Gradus essentiæ in scala prædicamentali subordinati singuli seorsim absque alijs clare & distinctè concipi possunt, hinc ante omnem operationem Intellectus inter se ex natura rei realiter formaliter distinguuntur.

43. Existentia est actualitas naturæ, per quam actu in rebus constituitur, gradus substantialis vel accidentalis pro ratione essentiæ quam actuatur; Deo essentialis, non autem rebus creatis; neque est passio fluens ab illarum essentia, sed ab extrinseco producitur; sola ratione distinguitur ab essentia diuina, à creata verò realiter formaliter; ut aliquid per alienam existentiam rei creatæ existat, implicare contradictionem reatu putamus.

44. Singularitas, quæ ad omnem rei existentiam presupponit, est gradus Metaphysicus quo essentia determinatur ad hoc vel illud Individuum; cuiq; enti ab altero diuerso distinctus & partialis aliusq; inest; sic in composito alia partialia hæcceitas materiæ, alia formæ, licet ex vrraq; una Totalis coalefacat: idem sit dictum de accidentibus etiam modalibus, quæ non propriæ ex subiecto individuantur. Differt ab essentia in diuinis sola ratione, in creatis ex natura rei seu formaliter.

45. Natura substantialis etiæ per hæcceitatem incomunicabilis redditur pluribus Inferioribus secundum eam naturam multiplicatis, tamen ne adhuc possit inesse alij supposito per assumptiuam Unionem, vltius contrahitur ad ultimum quoddam complementum, quod dicitur subsistentia, & cum natura completa suppositum constituit, quod definitur substantia completa, individua, incomunicabilis. Est verò Hypostasis entitas quædam in creaturis naturæ singulari actu existenti superaddita, & ab ipsa formaliter diuersa.

46. Partes cum sunt actu in Composito solam habent Totius suppositalitatem, quæ est diuisibilis, & secundum aliam partem in materia, secundum aliam in forma; si verò hæc partes seorsim existant extra Compositum, vt Materia & anima rationalis, habent suas incompletas & partialia subsistentias; partes tamen Integrales Vniuentium vitæ expertes, nec continuatæ vniuersibus alijs suam propriæ habent hypostasin.

47. Entis passiones tres sunt præcipuae. Vnum, Verum, Bonum. Vnitas generatim nihil aliud est, quam negatio diuisionis, vnde quot diuisionum sunt principia seu genera, tot etiam illis erunt oppositaæ negationes, vel vnitates, & consequenter, si diuisione realis, Vnitas illi opposita etiam erit realis. Hinc diuisioni secundum essentias, quæ realis est, Vnitas formalis seu essentialis opponitur itidem realis; diuisioni secundum principia

principia Individuantia, unitas numerica, quæ ante omnem Intellectus operationem illis conuenit, quæ ad unum Individuum contracta sunt.

48. Sunt præterea alia quæ inter se distinguunt realiter, ut Includens ab Incluso, seu pars à Toto, alia strictè realiter, ut res à re; alia distinctione reali latè sumpta, quæ formalis, ex natura rei, aut modalis dicitur. Divisione autem rerum quæ sit secundum rationem, dicitur vel rationis ratiocinata, virtualis, cum fundamento inre, vel rationis ratiocinantis & sine fundamento; quibus distinctionibus sive singulæ opponuntur unitates. Porro unitas Transcendentalis, quæ Passio Entis nuncupatur, vel est unitas formalis, vel unitas in communione, prout abstracta à numerica & formalis.

49. Veritas triplex est Transcendentalis seu in Essendo, quæ est Entis passio, Veritas moralis in dicendo, & Veritas in cognoscendo. Transcendentalis à nobis concipitur per modum fundamentalis cuiusdam aptitudinis, secundum quam aptum est Ens, ex ipso, quod est Ens, ab Intellectu quolibet ut tale vel tali cognosci verè & indicari. Veritas in cognoscendo videtur esse relatio similitudinis ipsius conceptus formalis eum re representata; hinc de falsitate, cuique veritati opposita facile seruata proportione iudicabitur.

50. Bonum morale triplex. Honestum, Utile, Iucundum, quæ singula rationem causæ Finalis posse subire probabile est. Bonitas vero Transcendentalis seu Entitatis, de qua hic agitur, est ipsa essentialis perfectio, & integritas rei in genere Entis, quo modo est quiddam ratione nostra Ente posterius, & ipsius Passio. Hæc de bonitate & valueris huius Triplicis Philosophiae Bono breuiter scripta sunt, ad meliorem eius laudem qui solus B o N v s est.

Ad maiorem Dei Deiparæq; Virginis &
B. P. IGNATII hororum &
gloriam.

Cum facultate Superiorum.

